Quaestiones Plutarcheae.

Quaestiones Plutarcheae.

Quo ordine Plutarchus nonnulla scripta moralia composuerit, agitur.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

litterarum universitate

Friderica Guilelma Berolinensi

ad summos in philosophia honores rite impetrandos

scripsit

Guntharius Hein
Cuestrinensis

Promotio sollemnis habebitur 14. Febr. 1916.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt professores publici ordinarii

Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff.
Hermannus Diels.

Typis expressit Aemilius Ebering, Berolini, Mittelstr. 39.

Quaestiones Plutarcheae.

Arduum semper fore opus rimari, quo ordine Plutarchus scripta moralia composuerit, iam R. Volkmannus in libro de Plutarcho scripto palam edixit. Cui operi quamquam magnae difficultates obstant, tamen omnem successus spem sublatam esse negamus. Sed Volkmanni auctoritate, ut a quaerendo se continerent, fere omnes commoti sunt. Complures tamen viri docti in aliis quaestionibus occupati, quem locum in librorum Plutarcheorum serie hoc vel illud scriptum tenere videretur, obiter edisseruerunt.

Sed priusquam has longe dissipatas animadversiones colligemus, ut perspiciamus, quid adhuc effectum sit, certa temporis vestigia in Plutarchi scriptis inventa proponamus.

Mestrium Plutarchum anno 66 litteris et optimis disciplinis Ammonio philosopho magistro (de E. ap. Delph. 1 p. 385 B *καθ᾽ ὃν καιρὸν ἐπεδήμει Νέρων ἠκούσαμεν Ἀμμωνίου.* de adul. 31 p. 70 E. *ὁ δ᾽ ἡμέτερος καθηγητὴς Ἀμμώνιος.*) studuisse, cum Nero in Graeciam veniret (Th. Mommsen, Herm. 4 (1870) 295 sq. Plutarchus et frater eius de E ap. Delph. 1 *νεοὶ* nominantur) et anno p. Chr. n. 120 in vivis fuisse scimus. A Mestrio Floro, proconsule Asiae a. 83/84, gentile nomen et civitatem Romanam accepit. (Pros. imp. Rom. III, 55 sq. ubi multa testimonia collata inveniuntur). Plutarchus adulescens legatus ad proconsulem Achaiae missus est. (praec. ger. reip. 816 D *μέμνημαι νέον ἐμαυτὸν ἔτι πρεσβευτὴν μεθ᾽ ἑτέρου πεμφθέντα πρὸς ἀνθύπατον.*) Vespasiano sene (c. a. 70) Romae fuisse e libro de soll. an. 974 A intellegi potest: *ὥστε πάντας ἀνθρώπους καὶ Καίσαρα (παρῆν γὰρ ὁ γέρων Οὐεσπασιανὸς ἐν τῷ Μαρκέλλου θεάτρῳ) συμπαθεῖς γενέσθαι.* Plutarchum praeter ceteros florentem Traianus im-

perator (98—117) honore consulari affecit, quod Suidas in vita Plut. vix recte attulit his verbis *μεταδοὺς αὐτῷ Τραιανὸς τῆς τῶν ὑπάτων ἀξίας προσέταξε μηδένα τῶν κατὰ τὴν Ἀχαΐαν* (Suidas falso *Ἰλλυρίδα*) *ἀρχόντων παρὲξ τῆς αὐτοῦ γνώμης τε διαπράττεσθαι*; et qui eum subsecutus est Hadrianus illum honore affecit *Πλ. ἐπιτροπεύειν Ἑλλάδος κατεστάθη γεραιὸς ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος* (sc. *Ἀδριανοῦ*). Euseb. Syncel. p. 659, 13, qua ex re concludi non potest Plutarchum procuratorem Asiae fuisse, quod in pros. imp. Rom. III 56 legimus.

Compluria scripta quando fere Plutarchus composuerit, e satis certis indiciis colligimus. Magna multitudo librorum moralium post annum 95/96 scripta est, ante hunc annum compositum esse librum quom. adulesc. poetas audire debeat certo scimus. Sed proferamus quae invenimus ordientes ab ultimis Plutarchi scriptis.

Sermones Pythicos qui vocantur Traiano imperante perscriptos esse putamus, quos Plutarchum senem deo Delphico iam per complures annos servientem edolavit. Ex inscriptionibus Delphicis intellegitur Plutarchum anno 95 sacerdotium Delphis, quod viventi adimi non poterat, accepisse neque dubium est, quin ille etiam anno 120 illo munere functus sit. (H. Pomtow, fasti Delphici Jhrb. f. cl. Phil. 139, 549). Scimus Plutarchum Traiano imperatore assidue studuisse, ut auctoritas oraculi Delphici renovaretur (de Pyth. orac. 29. p. 409 A. Bourguet, de rebus Delphicis imperatoriae aetatis, Montepessul. 1905, 70 sq. aliter senserat Hirzel Dial. II, 205). A sene Plutarcho sacerdote scripti sunt illi tres Pythici sermones qui inscribuntur de E apud Delphos, de defectu oraculorum, de Pythiae oraculis. Quorum primum Serapioni (384 D *ὦ φίλε Σεραπίων*) cuidam poetae Athenis habitanti, alterum Terentio Prisco dedicavit (409 E *ὦ Τερέντιε Πρίσκε*).[1] Ille

1. H. Pomtow Jhrb. f. cl. Phil. 139, p. 549 dicit Plutarchum tres illos Pythicos sermones Serapioni Athenas misisse; quo loco Plutar-

fortasse idem est, qui amicus et fautor Martialis fuit, cui poeta Romam reversus epigrammatum librum duodecimum tradidit (Pros. i. R. III, p. 302 Nr. 62, 63).

Plutarchus senex disputationem de Iside et Osiride composuit, quam Cleae Delphicae sacerdoti dedicavit.[1] Eidem sacerdoti Cleae[2] dedicavit de mulier. virt. librum; idcirco arbitramur illam quoque disputationem senem Plutarchum, qui illo tempore maiorem vitarum parallelarum partem iam confecerat, elucubravisse.

In libro de amic. ab. adul. intern. 1 p. 49 b legimus Plutarchum sacerdotibus Delphicis familiariter usum esse; quam ob rem ante annum 95 scriptum non esse censemus illum librum, quem C. Julio Antiocho Epiphani Philopappo dedicavit, qui Athenis archon inter annos 90—100 fuit. (Pros. imp. Rom. II. p. 166, Nr. 99.) Ille nepos erat Antiochi, filius Epiphanis, qui anno p. Chr. n. 72 regno Commagenae privati sunt. (Pros. i. R. 2, p. 37, No. 57.) Mortuus est anno 114—116.

Aetate provectum Plutarchum librum de sera num. vind. composuisse apparet, cum omnes qui in hac disputatione loquuntur, sacerdotes Delphici sint. Qui liber animos legentium ad tres Pythicos sermones omnes a sene Plutarcho scriptos remittit. Certum est illum librum adumbratum esse post annum 98. Nam Plutarchus illum librum L. Quieto dedicavit, (548 sq. cod. *Κύνιε*, scr. *Κύητε* Pros. i. R. III, p. 114 No. 10 (I, p. 189, No. 1172). item ad Nigrinum et Quietum fratres disputationem de fraterno amore misit. (p. 478 B in dedicatione libelli Plutarchi de frat. am. 1 scribendum esse *Κύητε* (traditur *Κύντε*) et fratres, quibus Plutarchus libellum dedicavit, intellegendos

---

chus se Serapioni et amicis eius nonnullos Pythicos sermones mittere scripsit.

1. Christ, Gesch. d. gr. Lit. II, 1, p. 372, 8.

2. ibidem p. 372.

esse Avidios Quietum et Nigrinum demonstravit Patzig). T. Avidius Quietus legatus erat Britanniae anno 98, proconsul Asiae 125/6, frater C. Avidii Nigrini (Patzig, quaest. Plut. 1876 p. 48—51. Nigrinus consularis, cum insidias parasset Hadriano, Faventiae occisus est sub initium imperii Hadriani. (vit. Hadr. c. 7., Dio 69, 2, Pros. i. R. II p. 407, No. 77). In illo libro traditur Quietus e Britannia reversum participem disputandi fuisse; quam ob rem illum librum aliquanto post annum 98 scriptum esse existimamus.

Liber amatorius a seniore Plutarcho pertractatus est, cum filium Autobulum iam adultum primas partes in hac disputatione agentem videamus (p. 748 f.).

Scripta Q. Sosio Senecioni dicata Traiano imperatore confecta sunt, cum notum sit Senecionem annis 99 et 107 consulem ordinarium fuisse (Pros. i. R. III, p. 255, No. 560). Ad illum misit Plutarchus vitas parallelas, item libellum de prof. in virt. (79 B *ὦ Σόσσιε Σενεκίων*) et quaestiones convivales (item prooem 1, 1). Sosius interfuit nuptiis Autobuli, Plutarchi filii (p. 666 D *ἐν τοῖς Αὐτοβούλου τοῦ υἱοῦ γάμοις συνεώρταζεν ἡμῖν παρὼν ἐκ Χαιρωνείας ὁ Σόσσιος Σενεκίων*) Igitur dici potest illa scripta moralia non esse delineata ante annum 95/100. Quae sententia eo fulcitur quod Plutarchus in quaest. conv. 734 D Favorinum Academicum in Flori amicis numeravit, cui librum de primo frigido, quem paulo post bella Dacica Traiani, anno 105 elucubratum dedicavit. (945 f. *ἔσιι τις ἆρα ιοῦ ψυχροῦ δύναμις, ὦ Φαβωρῖνε,* item in 955 c; 949 e *ὡς ἱστοροῦσιν οἱ νῦν μετὰ τοῦ Καίσαρος ἐπὶ τοῦ Ἴστρου διαχειμάσαντες* (cf. Volkmann I 79) (castra hiberna Caesaris (Traiania 98/99?) ad Istrum posita de prim. frig. 12 p. 949 e). Favorinus, sophista, oriundus Arelate, amicus Plutarchi, a. 143 in vivis fuit, quo anno Frontonem consulem fuisse apparet ex Gellio 2, 26: Favorinus philosophus, cum ad M. Frontonem consularem iret.

Plutarchum seniorem quaestiones convivales composuisse intellegi potest, quod his in scriptis nuptiae

Autobuli filii commemorantur; (666 d quod iam attulimus et 629 a *καὶ πρώτην γε τὴν ἐμὴν ἴστε δὴ τὴν Λεοντίδα μηδεμιᾶς δόξης ὑφιεμένην*) in 629 a scriptum exstat Plutarchum honore civis Atheniensis in tribu Leontide affectum esse; quo honore quamquam postea quoque ornari potuit, tamen quae diximus verba opinioni nostrae non reluctari arbitramur, seniorem Plutarchum quaest. conv. scripsisse.

Plutarchus quoque grandis natu librum an seni res publica gerenda sit adumbravit, cum hoc in scripto 792 f legamus illum iam per complura lustra dei Delphici sacerdotem fuisse (*καὶ μὴν οἶσθά με τῷ Πυθίῳ λειτουργοῦντα πολλὰς Πυθιάδας*). Misit Plutarchus illum librum amico Euphani Atheniensi, qui quando in vivis fuerit nescimus. (783 B *ὦ Εὔφανες*).

Post mortuum Domitianum Traiano imperatore praec. ger. reipubl. scripta sunt, quae Plutarchum non ante annum 96 composuisse censemus loco 815 d nisi *ἔναγχος ἐπὶ Δομετιανοῦ*. Illum librum adulescenti Menemacho Sardibus nato (798 A *ὦ Μενέμαχε*) dedicavit ut eum doceret, quomodo ab illo respublica bene gerenda esset.

Liber de cap. ex inim. util. aliquanto post illam disputationem confectus est. Nam Plutarchus in 86 c d dixit C. Pulchrum illum librum de praec. ger. reip. in manu tenere: *ἐν τοῖς Πολιτικοῖς παραγγέλμασι γεγραμένων, ἐπεὶ κἀκεῖνο τὸ βιβλίον ὁρῶ σε πρόχειρον ἔχοντα πολλάκις*. Cui minime obstat, quod Plutarchus illum librum Cornelio Pulchro tradidit, quem Traiano imperatore tribunum legionis IV. Scythicae fuisse ex inscriptionibus intellegitur (CIG. I, 1186 *Γν. Κορνηλίου Τιβερίου υἱὸν Φαβίᾳ Ποῦλχρον, χειλίαρχον λεγ. δ' Σκυθικῆς*).

Plutarchum disputationem de animae procreatione in Timaeo non ante annum 100 scripsisse verisimile est, cum illam filiis suis Autobulo et Plutarcho composuerit ad studia plilosophica incumbentibus. Hunc annum proponimus, cum filii Plutarchi difficillimum Platonis librum non

intellecturi fuerint nisi adulti. Praeterea Chairon et Soclarus filii maiores erant natu quam Autobulus et Plutarchus.

In libro de curiositate 522 e Plutarchus ipse dicit se Romae verba fecisse coram Iunio Aruleno Rustico, qui non ante annum 93 morte multatus est. (*ἐμοῦ ποτ' ἐν Ῥώμῃ διαλεγομένου, Ῥούστικος ἐκεῖνος, ὃν ὕστερον ἀπέκτεινε Δομετιανὸς τῇ δόξῃ φθονήσας, ἠκροᾶτο.* Pros. i. R. II, 233, Nr. 471. Qui liber non ante Domitianum mortuum scriptus est, cum Plutarcho imperatore vivo talia scribere non licuerit.

Domitiano imperante Plutarchus librum quom. adul. poetas audire debeat scripsit, nam filius eius Soclarus et Marci Sedati filius Cleander adulti sunt; 15 A *ἐπεὶ τοίνυν οὔτ' ἴσως δυνατόν ἐστιν οὔτ' ὠφέλιμον ποιημάτων ἀπείργειν, τὸν τηλικαῦτον ἡλίκος οὑμός τε τὸ νῦν Σώκλαρος καὶ ὁ σὸς Κλέανδρος, εὖ μάλα παραφυλάττωμεν αὐτούς, ὡς ἐν ταῖς ἀναγνώσεσι μᾶλλον ἢ ταῖς ὁδοῖς παιδαγωγίας δεομένους.*

Librum de superstitione ante annum 95 composuisse videtur, quoniam suscepto dei Delphici sacerdotio tam libere de religione loqui vix poterat atque longe alius per hoc opusculum spirat animus quam in dialogis Delphicis.

Coniug. praecepta Plutarchum fere anno 90 adumbravisse putamus, cum Eurydicae et marito eius Flavio Polliano dedicaverit, quem anno 89/90 Delphis archontem fuisse scimus. (Pauly-Wissowa RE 4, 2, p. 2671 Delphoi a 89/90 *Τ. Φλάβιος Πολλιανός*, quo loco dicitur verisimile Eurydicam alumnam Plutarchi fuisse).

Ad uxorem consolationem Plutarchum non ante annum 90 scripsisse manifestum est; parva enim Timoxena filia, quae quattuor annos nata mortua est, post fratres in lucem edita est, quorum fratres Chaero, Soclarus, Autobulus, Plutarchus maiores nati sunt. Pater Plutarchus anno 90 non plures annos egit quam 45.

Scriptum de san. tuenda compositum esse Tito im-

peratore iam mortuo verisimile putamus, si 123 d intuemur: *πολλοὺς δὲ καὶ λουτρὸν ἀπώλεσεν, οὐδὲν ἐν ἀρχῇ μέγα κακὸν ἔχοντας ἀλλ' ἢ τὸ μὴ δύνασθαι μηδ' ὑπομένειν γεύσασθαι τροφῆς ἁλόντας· ὧν καὶ Τίτος ἦν ὁ αὐτοκράτωρ, ὥς φασιν οἱ νοσηλεύσαντες.*

In libro de soll. animi Autobulus adultus sermonis particeps est; quam ob rem illum librum certe post annum 90 scriptum esse censemus.

Denique profiteamur Plutarchum adulescentem nobis videri scripta rhetorica quae vocantur composuisse, quae sunt de fort. Alexandri, de fort. Romanorum, cuius libelli partem duplicem recensionem codices tradunt, (cf. Bruhn, Genethliacon Goettingense 1), de gloria Atheniensium, aqua an ignis utilior, cum in his libellis praecepta rhetorum diligenter ut discipulus adhibuerit. Libellum de fort. Rom. parum diligenter adumbratum nunquam in manus legentium edidit; quaestiones Romanas quae *αἴτια Ῥωμαικά* vocantur, conscripsit cum vitas parallelas componeret; quam ob rem illae in posterioribus Plutarchi scriptis numerandae sunt.

His temporis vestigiis ostentis proferamus, quid viri quidam docti de ordine nonnullorum scriptorum censuerint.

Quaest. conviv. scriptas esse non multo ante mortem Plutarchi E. Rohde (Gr. Roman 486 A) et R. Reitzenstein (Epigr. u. Skol. 9.) dixerunt.

Adversus Coloten librum, quem Herennio Saturnino dicavit, prius scriptum esse quam disputationem non posse suav. vivi sec. Epicur. intellegimus 1086 D perlecto: *Κωλώτης ὁ Ἐπικούρου συνήθης βιβλίον ἐξέδωκεν ἐπιγράψας ‘ὅτι κατὰ τὰ τῶν ἄλλων φιλοσόφων δόγματα οὐδὲ ζῆν ἔστιν’. ὅσα τοίνυν ἡμῖν ἐπῆλθεν εἰπεῖν πρὸς αὐτὸν ὑπὲρ τῶν φιλοσόφων, ἐγράφη πρότερον.* Illum librum adv. Coloten seni Plutarcho Hirzel[1] attribuit. Idemque librum de commun.

1. Hirzel Dial. II 219.

not. a Plutarcho aetate provecto conscriptum esse confirmat, cum huius libelli ratio dicendi duritie quadam affecta sit. (Dial. II, 223). Idem vir doctus in dubio reliquit, an haec disputatio Plutarcho supposita sit, quod tamen vereor ut cuiquam persuaserit.

Georgius Siefert librum de cap. ex inim. util. quem post Domitiani mortem scriptum esse exposuimus, una fere cum disputatione de exilio compositum existimat. (Jenens. Comment. 6, 1896, p. 75 sq.) Libellum de exilio scriptum esse statim post librum de praec. ger. reip. confectum. (ibidem p 75).

Libris de garrulit. et de curios. iam tractatis disputationem de vit. pud. scriptam esse Pohlenz[1] proposuit; idem opinatur librum de curios., quem compositum esse Domitiano mortuo supra docuimus, et libellum de se ips. citra inv. laud., quam Herculano cuidam dedicavit (539 ὦ Ἡρκλανε, C. Iulius Eurycles Herculanus, nobilis sine dubio Spartanus, sacerdos Augustorum perpetuus, sacerdos Castoris et Pollucis, vixit temporibus Traiani. Idem homo occurrit in titulo honorario Traiani Cytheris reperto annorum 116/117 CIG 1, 380. Reipublicae Romanae magistratus gessit quaesturam, tribunatum, praeturam nonnullaque praeterea officia militaria et provincialia. Euryclem Herculanum iam extremo Traiani principatu aetate provectiorem fuisse constat; idem gener Senecionis fuit. CIG V 2 Mantinea 281, 311. Dittenberger Syll.[2] 392. Pros. i. R. II p 189, 199), scriptos esse disputationibus de coh. ira, de garrul., de tranq. an. iam confectis. Hirzel autem librum de coh. ira una cum praeceptis de san. tuend. scriptum censet.[2] Pohlenz[1] librum de soll. anim. eodem fere tempore, quo praec. de san. tuend. composita sint, scriptum asseverat.

1. Pohlenz Herm. 31 (1896) p. 321—338.
2. Dialog II, p. 167.

His virorum complurium doctorum iudiciis allatis ipsi primum profitemur, viam etiam initam esse, quae ad finem propositum omnino non ducat. Scilicet omnibus eiusdem generis comparationibus inter se collatis ipsi quoque aliquantum temporis putavimus enucleari posse, quo ordine libri a Plutarcho confecti sint. Id fieri posse alios quoque homines pro certo habere ex eo intellegitur, quod I. A. Dronkers[1] omnes a Plutarcho adhibitas comparationes collegit. Qua via quin interdum aliquid emolumenti quaestioni solvendae adferatur, minime dubitamus, si modo comparatio quaedam non cum omnibus huius generis confertur sed cum una apta ex illis selecta; paucis autem exceptis id fieri non posse luce est clarius. Cum in plurimis comparationibus eae res, de quibus aliquid dicitur, inter se conspirent, plerumque sententiae conformatae minime congruunt; idcirco fieri non potest, ut illae comparationes inter se conferantur. Quam ob rem repetimus omnes unius generis comparationes collatas ad quaestionem solvendam, quo ordine Plutarchus scripta moralia composuerit, plerumque nihil valere.

Plutarchus ipse in principiis libri de tranq. an. se hanc disputationem ex annotationibus iam antea de ea re a se adumbratis celeriter conscripsisse Paccio amico dicit. Idem in edolando expoliendoque libello sua librorum copia utebatur et quae in animum venerant, bene ornateque perscribebat. Ac plerasque disputationes iterum pertractabat et emendabat, complures autem non satis elimatas accepimus. Saepissime narratiunculam vel fabulam quandam adfert, deinde quid ex fabula sumendum sit, ut ea illustrentur quae cum maxime tractat, legenti proponit. Quod ut aliis verbis exprimamus, fabula vel comparatio ipsa profertur, ut tenor propositae narrationis promoveatur et persaepe ob id unum

1. Abr. Jon. Dronkers, de comparationibus et metaphoris apud Plut. Traiecti ad Rhen. 1892. Diss.

allata videtur, quamquam longe a conexu ceterarum sententiarum abhorret. Quas comparationes et sententias ut margaritas in cistellae loculis collectas persaepe promebat, modo ut comparationem per se utilem et suavem, modo ut hac allata novam cogitationem in conspectum legentium proferret.

Ceterum multos libros Plutarchus perlegebat et ex iis summaria faciebat, quos in commentarios nonnulla, quae ipse occasione data audiverat vel viderat vel cogitaverat, referebat. Quibus in collectaneis, quae in disputationibus componendis vel in amplioribus libris tractandis adhiberet, semper inveniebat. Quo in genere laboris ausim contendere Plutarchum non omnem scriptorem, quem in praetereundo nominatim adfert, perlegisse aut in opusculo scribendo in manum sumpsisse aut ex illo, cum disputationem quandam pertractaret, ut ex fonte hausisse. Sed occasione data vel ab amicis petitum scripta sua plerumque composuisse satis constat.

Idem ut scripta moralia adumbraret, commentariis suis ac bibliotheca utebatur. Cum Plutarchus dicendi artem coleret, scripta eius et eis, cui dedicata erant, et nobis iucunda facta sunt. Illa eodem fere modo atque Johannes Paulus Richter composuit. Nam saepe Plutarchus ad idem spectans, ut in vitis parallelis conscribendis virtutes viri cuiusdam fortissimi respiciebat, summarium ex uno vel compluribus scriptis historicis sibi confecit. Interdum certa testimonia, ut propriam viri cuiusdam naturam adumbraret, sibi comparavit. In cistellis scidarum comparationes exquisito et poetico cultu enitentes, locos illustres et dignos memoria, narratiunculas collegit. Eximio et tenaci memoria praeditus imagines iam semel adhibitas prompsit, quibus saepe praeter opinionem novam cogitationem intulit, ut sine magno labore quae dicere vellet legentium animis insinuaret.

1.

Haec praefati nunc ad ipsum propositum accedamus. Primo huius opusculi capite quaeretur,

quae intercedant inter Plutarchi disputationes de recta ratione audiendi et inter eam qua quaerit quomodo adulator ab amico internoscatur.

Liber *de aud.* in nostris editionibus ante disputationem de adul. locum tenet. Qui ordo horum duorum libellorum utrum temporum rationi respondeant necne, disceptaturi sumus, cum scripta moralia ad libidinem disposita nobis esse tradita constet. Quod ut fiat, age quae in eisdem conspirantia observavimus, inter se comparemus.

Ac primum quidem e libris *de adul.* 56 D et *de aud.* 45 A:

56 D *ὥς που καὶ Πλάτων φησὶ τὸν ἐραστὴν κόλακα τῶν ἐρωμένων ὄντα τὸν μὲν σιμὸν καλεῖν ἐπίχαριν, τὸν δὲ γρυπὸν βασιλικόν, μέλανας δ᾽ ἀνδρικούς, λευκοὺς δὲ θεῶν παῖδας· τὸ δὲ μελίχρουν ὅλως ἐρασιοῦ ποίημα εἶναι ὑποκοριζομένου καὶ εὐκόλως φέροντος τὴν ὠχρότητα.*

Quod Plutarchum fere ad verbum e Platone descripsisse intellegemus, si Rempubl. 474 e inspexerimus. In libro autem de aud. 45 A Platonis illud non ad verbum, sed e momoria a Plutarcho invenimus propositum:

45 A *ὥς φησιν ὁ Πλάτων ἁμηγέπη δάκνουσι τὸν ἐρωτικόν, καὶ λευκοὺς μὲν θεῶν παῖδας ἀνακαλῶν μέλανας δ᾽ ἀνδρικούς, καὶ τὸν γρυπὸν βασιλικὸν καὶ τὸν σιμὸν ἐπίχαριν, τὸν δ᾽ ὠχρὸν μελίχρουν ὑποκοριζόμενος ἀσπάζεται καὶ ἀγαπᾷ . .*

Verba Plutarchi in 56 D contexta Platonis disceptationi multo similiora sunt quam illa in 45 A. Nam in secundo loco allato Plutarchum memoriter illud Platonis addidisse inde colligitur, quod singula Platonis verba a scriptore inversa sunt, itaque series verborum apud Plut. 45 A conturbata videtur. Adiciamus quae sumpsimus e Rep. 474 e, ut Plutarchum 45 A scribentem illa Platonica invertisse facilius perspiciatur:

Plat. Rep. 474 e *ὁ μέν, ὅτι σιμός, ἐπίχαρις κληθεὶς ἐπαινεθήσεται ὑφ᾽ ὑμῶν, τοῦ δὲ τὸ γρυπὸν βασιλικόν φατε εἶναι, τὸν δὲ δὴ διὰ μέσου τούτων ἐμμετρότατα ἔχειν, μέλανας δ᾽ ἀνδρικοὺς ἰδεῖν, λευκοὺς δὲ θεῶν παῖδας εἶναι· μελιχλώρους δὲ καὶ τοὔνομα οἴει τινος ἄλλου ποίημα εἶναι ἢ ἐραστοῦ ὑποκοριζομένου τε καὶ εὐχερῶς φέροντος τὴν ὠχρότητα.*

Eundem ordinem Platonis Rep. 474 e et Plut. 56 D obtinere agnosces his duobus locis inter se comparatis: haec eadem verba in his duobus scriptis pari modo composita apparent: *σιμός, ἐπίχαρις . . . γρυπὸν βασιλικόν . . . μέλανας δ᾽ ἀνδρικούς . . λευκοὺς δὲ θεῶν παῖδας . . μελιχλώρους . . ἐραστοῦ ὑποκοριζομένου . . εὐχερῶς φέροντος τὴν ὠχρότητα.* Verba autem in 45 A esse immutata, quis est quin intellegat intuens particulas orationis ita ordinatas: *ἐρωτικὸν* (cf. *ἐραστοῦ . . λευκοὺς μὲν θεῶν παῖδας . . μέλανας δ᾽ ἀνδρικούς . . γρυπὸν βασιλικόν . . . σιμὸν ἐπίχαριν . . ὠχρὸν μελίχρουν ὑποκοριζόμενος.*

Adfertur autem Platonis locus in libro de adul. accommodate, qui orsus a Thucydidis sententia (56 D) verba sui purgandi causa aliter in bello adhiberi atque in pace, qua cotidiano sermone ratio dicendi fingeretur; idem affirmat fortitudinem et fidem erga socios iniquis temporibus nominari alacritatem temeritatemque. Plutarchus eodem dicendi modo atque in bello adulatorem ipsum uti notat; Platonem recte quoque dixisse unumquemque amatorem blandiri deliciis suis. Nemo vero dubitabit, quin illud Platonis cum ceteris sententiis apte nexum sit (56 D), sed longe abhorreat a sententiis in libro de aud. contextis. Illud Platonicum in libro de aud. omnino parum commode enuntiatis antecedentibus adsutum videtur, sed a sententiis inter se copulatis discrepans. In libro de adul. illud Platonis in medium profert, ut cogitationem iam inventam melius illustret, sed idem in libro de aud. ex ordine sententiarum solutum per vim, ut ita dicam, intruditur, ut illis philosophi verbis nova Plutarchi cogitatio in legentis conspectum inferatur. In libro de adul. illa Platonis comparatio ob suum ipsum magnum

momentum tractatur, cum scriptor, ut illam adhiberet, materia ipsa esse adductus videatur, sed in libro de aud. Platonica ob nullam aliam causam, nisi ut Plutarchus tenorem narrationis sine difficultate persequeretur, allata esse patet. Quod si tenemus, iam apparet illud 56 D (de adul.) prius scriptum esse quam 45 A (de aud.).

Iam alia inter se congruentia nonnullis verbis explicemus: responsum medici Phylotimi bis in Plutarchi scriptis moralibus, et in de adul. *73 B* et in de aud. *43 B* nuncupatum investigamus. His duobus locis antecedentes sententias addimus: *73 B* ἂν δ᾽ ἐπὶ πᾶσι καὶ πρὸς πάντα δυσκολαίνῃ καὶ μὴ φιλικῶς ἀλλὰ παιδαγωγικῶς προσφέρηται τοῖς συνήθεσιν, ἀμβλὺς ἐν τοῖς μεγίστοις νουθετῶν ἔσται καὶ ἄπρακτος, ὥσπερ ἰατρὸς δριμὺ φάρμακον ἢ πικρὸν ἀναγκαῖον δὲ καὶ πολυτελὲς εἰς πολλὰ καὶ μικρὰ καὶ οὐκ ἀναγκαῖα διελὼν τῇ παρρησίᾳ κατακεχρήμενος. αὐτὸς μὲν οὖν σφόδρα φυλάξεται τὸ συνεχὲς καὶ φιλαίτιον· ἑτέρου δὲ μικρολογουμένου περὶ πάντα καὶ παρασυκοφαντοῦντος ὥσπερ ἐνδόσιμον ἕξει πρὸς τὰ μείζονα τῶν ἁμαρτημάτων. καὶ γὰρ ἰατρὸς Φυλότιμος ἐμπύου τὸ ἧπαρ ἀνθρώπου δείξαντος αὐτῷ τὸν δάκτυλον ἡλκωμένον 'οὐκ ἔστι σοι' εἶπεν 'ὦ τᾶν περὶ παρωνυχίας ὁ λόγος'.

43 B: οἷα τερθρευόμενοί τινες τῶν νέων καὶ παρεπιδεικνύμενοι διαλεκτικὴν ἢ μαθηματικὴν ἕξιν εἰώθασι προβάλλειν περὶ τῆς τῶν ἀορίστων τομῆς, καὶ τίς ἡ κατὰ πλευρὰν ἢ κατὰ διάμετρον κίνησις. πρὸς οὓς ἔστιν εἰπεῖν τὸ ὑπὸ Φυλοτίμου πρὸς τὸν ἔμπυον καὶ φθισιῶντα ῥηθέν. ἐπεὶ γὰρ ἐλάλησεν αὐτῷ φαρμάκιον αἰτῶν πρὸς παρωνυχίαν, αἰσθόμενος ἀπὸ τῆς χρόας καὶ τῆς ἀναπνοῆς τὴν διάθεσιν· 'οὐκ ἔστι σοι' φησίν 'ὦ βέλτιστε περὶ παρωνυχίας ὁ λόγος.'

In libro de adul. Phylotimi illud optime allatum est, quoniam nonnullis versiculis ante is, qui semper vitia alterius vehementissime vituperat, cum medico comparatur, qui acerbo at salubri medicamento saepius quam fieri debet, utitur. Castigandum neminem esse nisi in gravissimis rebus; nobis esse imitandum illud Phylotimi, qui aegroto parvulam causam morbi praeferenti veram morbi causam ostendit. Quo

loco illud medici exemplum, quin Plutarchus aptissime attulerit, nemo dubitabit; sed libello de aud. idem oblique perverseque tractatum videtur. Hoc enim loco illud Phylotimi cum sententiis antegressis nullo modo conexum est, sed dissolutum illud Plutarchum e memoria attulisse opinamur, ut iam a se usurpata cogitatione verba sua ornaret, quam illum in 43 B minime apte adiecisse arbitramur. Illud Phylotimi si a reliquis Plutarchi verbis in 43 B seiungeremus, nemo esset, qui in libro de aud. desideraret. Illo igitur exemplo Plutarchus hoc loco mera libidine usus videtur, ut sine difficultate communem sententiam suis verbis illa comparatione adderet. In 73 B autem totum illud exemplum materia postulatum adhibuit, quod scriptor acriori medico recte agentem medicum opposuit. Ergo sine ulla necessitate in 43 B illud Phylotimi allatum est. Plutarchum e memoria totum locum in libellum de aud. e priore disputatione transtulisse censemus. Qua altera causa commovemur, ut putemus Plutarchum librum de adul. prius quam librum de rect. rat. aud. scripsisse.

Tertium testimonium Plutarchum de aud. libellum concepisse quaestione de adul. iam confecta, in 46 E et 74 D reperimus. Utroque loco eadem comparatio prostat, sed in libello de adul. collatio medici aegrotum praecaute secantis et aegroti medicum diligentem non fugientis multo plenius pertractatur quam in libello de aud.; in quo illud e libello de adul. memoriter repetitum videtur. In 46 E autem scriptum exstat adulescentes quosdam non tolerare reprehensiones, sed ad blandas et delicatas auditiones adulatoris se avertere. Denique sententiae, quae scriptorem ad eandem comparationem duxerunt, in libro de adul. 74 D multo simpliciores, in 46 E autem multo difficiliores sunt, cum hoc loco illa comparatione scriptor novam cogitationem suis verbis adiunxerit. Quod non exigui ponderis est, cum illum locum, quo comparatione iam alibi tractata oratio propagatur, postea scriptum esse arbitremur illo, quo comparatio ipsa sui ipsius momenti allata videtur. Quare Plu-

tarchum illud in libro de aud. explanatum ex opusculo de adul. memoriter hausisse censemus.

Nunc duos locos adferamus, de quibus utiliter posse disputari nobis videbatur:

74 D *ἐπεὶ τοίνυν, ὥσπερ εἴρηται, πολλάκις ἡ παρρησία τῷ θεραπευομένῳ λυπηρὰ πέφυκε, δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἰατρούς. οὔτε γὰρ ἐκεῖνοι τέμνοντες ἐν τῷ πονεῖν καὶ ἀλγεῖν καταλείπουσι τὸ πεπονθός, ἀλλ᾽ ἐνέβρεξαν προσηνῶς καὶ κατῃόνησαν, οὔθ᾽ οἱ νουθετοῦντες ἀστείως τὸ πικρὸν καὶ δηκτικὸν προσβαλόντες ἀποτρέχουσι, ἀλλ᾽ ὁμιλίαις ἑτέραις καὶ λόγοις ἐπιεικέσιν ἐκπραΰνουσι καὶ διαχέουσιν.*

46 E: *ἀλλ᾽ ἐπὶ τὰς προσηνεῖς καὶ ἁπαλὰς ἀποστρέφοντες ὁμιλίας τὰ ὦτα, κολάκων τινῶν ἢ σοφιστῶν ἀνωφελεῖς καὶ ἀνοήτους ἡδείας δὲ φωνὰς καταδόντων. ὥσπερ οὖν ὁ μετὰ τὴν τομὴν φεύγων τὸν ἰατρὸν καὶ τὸν ἐπίδεσμον μὴ προσιέμενος τὸ μὲν ἀλγεινὸν ἀνεδέξατο, τὸ δ᾽ ὠφέλιμον οὐχ ὑπέμεινε τῆς θεραπείας, οὕτως* . . . His reputatis Plutarchum in 46 E *ὥσπερ οὖν ὁ μετὰ τὴν τομὴν φεύγων* paucis verbis illud 74 D attigisse in professo est.

Haec dum consideramus, animadvertimus quartum documentum, quod in 49 B et 63 B deprehendimus. In 49 B breviter de corporibus mathematicis movendis disseritur, quod Plutarchum in libro de adul. 63 B longius pertractasse videbimus. Est in promptu hic Plutarchum illud in 63 B iam prolatum paucis verbis respexisse. Adferamus nunc quae leguntur in 63 B et 49 B:

63 B (de adul.) *ὡς γὰρ οἱ μαθηματικοὶ τὰς ἐπιφανείας καὶ τὰς γραμμὰς λέγουσι μήτε κάμπτεσθαι μήτε διατείνεσθαι μήτε κινεῖσθαι καθ᾽ ἑαυτάς, νοητὰς καὶ ἀσωμάτους οὔσας, συγκάμπτεσθαι δὲ καὶ συνδιατείνεσθαι καὶ συμμεθίστασθαι τοῖς σώμασιν ὧν πείρατά εἰσιν.*

49 B *οἷα τερθρευόμενοί τινες τῶν νέων . . . μαθηματικὴν ἕξιν εἰώθασι προβάλλειν . . τίς ἡ κατὰ πλευρὰν ἢ κατὰ διάμετρον κίνησις.*

His documentis nisi Plutarchum de adul. prius scripsisse quam de rect. aud. rat. et horum libellorum duorum traditum ordinem non rectum esse demonstravimus.

2.

Altero capite patefacere studemus, quo ordine duo iam tractati libelli et disputatio q u o m o d o q u i s s u os i n v i r-t u t e s e n t i a t p r o f e c t u s compositi sint.

Conferamus et nonnullis verbis explanemus quae percipiuntur 41 F et 79 C: de rect. rat. aud. 41 F *διὸ δεῖ μιμεῖσθαι τὰς μελίσσας, αἱ μὲν γὰρ ἐπιοῦσαι τὰ ἀνθηρὰ καὶ εὐώδη τῶν φίλλων συνείρουσι καὶ διαπλέκουσιν ἡδὺ μὲν ἐφήμερον δὲ καὶ ἄκαρπον ἔργον. αἱ δὲ πολλάκις ἴων καὶ ῥόδων καὶ ὑακίνθων διαπετόμεναι λειμῶνας ἐπὶ τὸν τραχύτατον καὶ δριμύτατον θύμον καταίρουσι καὶ τούτῳ προσκάθηνται.*

ξανθὸν μέλι μηδόμεναι

καὶ λαβοῦσαί τι τῶν χρησίμων ἀποπέτονται πρὸς τὸ οἰκεῖον ἔργον· οὕτως οὖν δεῖ τὸν φιλότεχνον καὶ καθαρὸν ἀκροατήν etc.

79 C *ὥσπερ γὰρ ἄνθεσιν ὁμιλεῖν ὁ Σιμωνίδης φησι τὴν μέλιτταν*

ξανθὸν μέλι μηδομέναν

οἱ δ᾽ ἄλλοι χρόαν μᾶλλον καὶ ὀσμήν, ἕτερον δ᾽ οὐδὲν ἀγαπῶσιν οὐδὲ λαμβάνουσιν, οὕτως ὁ τῶν ἄλλων etc.

Libuit Simonidis fragmentum proferre, ut arguamus, quomodo Plutarchus id utroque loco adhibuerit. (Sim. frg. 31 Hiller-Crus. p 243, Bergk frg. 76) *ὁμιλεῖ δ᾽ ἄνθεσιν ξανθὸν μέλι μηδομένα.* Plutarchum in 79 C illud Simonidis paene ad litteram adscripsisse apparet dicentem *ὥσπερ γὰρ ἄνθεσιν ὁμιλεῖν . . μηδομέναν;* in 41 F autem illud *ὁμιλεῖν ἄνθεσιν* compluribus sententiis auctum vidimus; hoc enim loco Plutarchus pauca Simonidis verba in amplissimam comparationem auxit. Quo primum commoti summus ut *de prof. in virt.* 79 C prius scriptum esse quam *de aud.* 41 F. arbitraremur. Dubitantes adhuc eo confirmamur, quod Plutarchus in 79 C numero singulari *τὴν μέλιτταν* dixit, in 41 F autem pluraliter est locutus *τὰς μελίττας.* Ipso in Simonidis fragmento singularis numerus est. Plutarchum in 79 C poetae verba diligenter depinxisse, in 41 F autem memoriter attulisse manifestum est.

Praeterea in 79 C Simonides auctor versus nuncupatur, cuius nomen in 41 F neglectum est, cum in aperto sit Plutarcho hunc locum scribenti illud Simonidis familiare fuisse. Denique quod haec in 41 F usurpata comparatio multo amplior est quam illa in 79 C, Plutarchum de prof. in virt. prius effinxisse quam de aud. opinamur quattuor causis satis adiuti.

Quae disseruimus aliis exemplis in his duobus libellis inventis fulciamus. Quod ut fiat de prof. in virt. 80 A addimus: *μᾶλλον δ' ὅλως οὐδὲν ὁ τοιοῦτος σοφιστὴς διαφέρει τῆς Ὁμηρικῆς ὄρνιθος, ὅ τι ἂν λάβῃ τοῖς μαθηταῖς ὥσπερ ἀπτῆσι νεοσσοῖς προφέρων διὰ τοῦ στόματος*

κακῶς δέ τε οἱ πέλει αὐτῷ.

48 A *οὐ γὰρ ἐθέλουσι γενόμενοι καθ' αὑτοὺς πράγματα ἔχειν, ἀλλὰ παρέχουσι τῷ λέγοντι, πολλάκις ἐκπυνθανόμενος περὶ τῶν αὐτῶν, ὥσπερ ἀπτῆνες νεοσσοὶ κεχηνότες ἀεὶ πρὸς ἀλλότριον στόμα.*

Nescio quomodo in 48 A Bernardakis non significaverit illud *ἀπτῆνες νεοσσοὶ* Homeri esse (I 323). Si 48 A cum 80 A contendimus, posteriore loco Plutarchum Homeri illud subtilius et diligentius fere ad verbum respexisse inveniemus (80 A). Proferamus illud summi poetae I 323:

ὡς δ' ὄρνις ἀπτῆσι νεοσσοῖσι προφέρῃσιν
μάστακ' ἐπεί κε λάβῃσι, κακῶς δ' ἄρα οἱ πέλει αὐτῇ.

48 A duobus verbis *ἀπτῆνες νεοσσοὶ* illud in 80 A allatum in memoriam legentium Plutarchus revocat. Praeterea idem illud Homeri nusquam in aliis libellis protulit nisi in his duobus. Quam ob rem illud in libello de aud. e libro de prof. in virt. Plutarchum sumpsisse et 48 A postea scripsisse quam 80 A nobis exploratum est.

Addamus tertium testimonium, quamquam tot similes loci quot in libello, qui inscribitur praecepta ger. rei publ. et in disputatione an seni res publ. gerenda sit, quos Carolus Mittelhaus tractavit, in his duobus libris non reteguntur, tamen in 45 D et 84 F nonnullae similitudines se nobis

obtulerunt: 84 F *ἀλλὰ καὶ σχῆμα καὶ βάδισμα καὶ β λ έ μ μ α καὶ μ ε ι δ ί α μ α θαυμάζοντες αὐτοῦ καὶ ἀγαπῶντες . . ἀλλ' ὥσπερ οἱ ἐρῶντες καὶ τ ρ α υ λ ό τ η τ α ς ἀσπάζονται . . . τῆς δὲ Πανθείας καὶ δάκρυα καὶ κατήφεια ἐξέπληξε κτλ.*

45 D *ὥσπερ ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀκροάσεως οὐ μόνον βαρύτης ἐπισκυνίου καὶ ἀηδία προσώπου καὶ β λ έ μ μ α ῥεμβῶδες καὶ περίκλασις σώματος καὶ μηρῶν ἐπάλλαξις ἀπρεπὴς ἀλλὰ καὶ νεῦμα καὶ ψ ι θ υ ρ ι σ μ ὸ ς πρὸς ἕτερον καὶ μ ε ι δ ί α μ α χάσμαι τε ὑπνώδεις καὶ κ α τ ή φ ε ι α ι.*

Quibus in locis si nihil aliud nisi similia verba esse concedis, tamen dicimus casu fieri non posse, ut tria inter se congruentia et unum simile inveniantur. Quamquam his duobus exemplis non discernitur, uter liber prior scriptus sit uter posterior, tamen illos non permagno temporis spatio diremptos Plutarchum composuisse intellegimus. Quod ut confirmemus illos duos locos attulimus, in quibus verba inter se similia observavimus. Nec vero parvi ducendum est haec omnia conspirare cum eis quae supra explicavimus.

Quadrant huc quae in 42 D et 79 D posita sunt:

79 D *τοὺς μὲν γὰρ Πλάτωνι καὶ Ξενοφῶντι χρωμένους διὰ τὴν λέξιν, ἕτερον δὲ μηδὲν ἀλλ' ἢ τὸ καθαρόν τε καὶ Ἀττικὸν ὥσπερ δρόσον καὶ χροῦν ἀποδρεπομένους τί ἂν ἄλλο φαίης ἢ φαρμάκων τὸ μὲν εὐῶδες καὶ ἀνθηρὸν ἀγαπᾶν . .*

42 D *ὁ δ' εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς μὴ τοῖς πράγμασιν ἐμφυόμενος ἀλλὰ τὴν λέξιν Ἀττικὴν ἀξιῶν καὶ ἰσχνὴν ὅμοιός ἐστι μὴ βουλομένῳ πιεῖν ἀντίδοτον, ἂν μὴ τὸ ἀγγεῖον ἐκ τῆς Ἀττικῆς κωλιάδος ᾖ κεκερασμευμένον, μήτ' ἱμάτιον περιβαλέσθαι χειμῶνος, εἰ μὴ προβάτων Ἀττικῶν εἴη τὸ ἔριον, ἀλλ' ὥσπερ ἐν τρίβωνι Λυσιακοῦ λόγου* etc.

In 79 D Plutarchus exemplis et luminibus dicendi Platone et Xenophonte utitur, sed in 42 D nullos viros, quorum loquendi rationem legentes optimam imitarentur, significat. Hoc uno persuasum nobis est Plutarchum 79 D prius composuisse quam 42 D, cum scriptor orationem in 79 D Xenophonte et Platone bonis exemplis rationis recte dicendi nominatis praecipue delineavisse, in 42 D autem talibus

exemplis non prolatis deteriorem fecisse videatur. Paucis verbis Plutarchus in 79 D semel *Ἀττικὴν λέξιν* scripsit, in 42 D autem ter eundem rationis modum ampliore comparatione usus repetiit. Quod Plutarchus in 42 D illam rationem dicendi ter attulit, auctum dicendi modum a scriptore postea explicatum esse putamus. Praeterea totam in 42 D tractatam sententiam multo magis contortam et difficiliorem esse quam 79 D arbitramur, quod scriptor alteram comparationem, quae ab *ὥσπερ ἐν τρίβωνι* oritur, adiunxit. Comparationem autem difficiliorem postea scriptam esse cen semus. Qua tertia causa, si recte allata est, cousectarium fit, ut Plutarchum disputationem de rect. aud. rat. post libellum de prof. in virt. delineavisse putemus.

2 b.

His exemplis satis confirmati explanemus

quae ratio intercedat inter disputationem de discernendo ab amico adulatore et inter libellum quomodo quis suos in virtute sentiat profectus.

69 F *οὕτω Σωκράτης Ἀλκιβιάδην ἐκόλουε, καὶ δάκρυον ἐξῆγεν ἀληθινὸν ἐξελεγχομένου καὶ τὴν καρδίαν ἔστρεφε* (alia similia exempla sequuntur).

84 D *οὐ γὰρ ὑπὸ τῶν λόγων δεῖ τοῦ φιλοσοφοῦντος μόνον ὥσπερ Ἀλκιβιάδης ἔλεγε τὴν καρδίαν στρέφεσθαι καὶ δάκρυα ἐκπίπτειν, ἀλλ ὅ γε προκόπτων ἀληθῶς μᾶλλον ἔργοις.*

Utrum Plutarchus prius scripserit, hinc conficitur. In 69 F Socrates philosophiae praecepta Alcibiadem docet, discipulus Alcibiades a Socrate magistro castigatur; in 84 D autem idem praecepta, quae se a Socrate accepisse non memorat, aliis tradit. Illa mandata hoc loco a philosophia ipsa, non a Socrate postulata significantur. Res in 69 F tractata a scriptore praecipue delineata, in 84 D autem abstracto philosophiae nomine interposito ab 69 F iam antea confecto derivata esse videtur. Abstractum nomen philosophiae in 84 D pro persona magistri Socratis philosophiam docentis positum

animadvertimus, unde colligi nobis videtur, quo ordine libri conexi sint. Denique in 84 D totam rem vocabulo *ὥσπερ* adnexuit. Praeterea scriptor, cum 84 D componeret, unum exemplum e multis in 69 F adhibitis selegit; quam ob rem censemus illud in 84 D tractatum scriptum esse illis similibus sententiis in 69 F iam confectis.

Aliud rursus testimonium in promptu est, ne illud leviter iecisse videamur: 74 C *τῷ δὲ ψέγειν τὰ πραχθέντα καὶ τοὺς ἐχθροὺς κατ' ἀλλήλων ὁρῶμεν χρωμένους, ὥσπερ Διογένης ἔλεγεν ὅτι τῷ μέλλοντι σῴζεσθαι δεῖ φίλους ἀγαθοὺς ἢ διαπύρους ἐχθροὺς ὑπάρχειν, οἱ μὲν γὰρ διδάσκουσιν, οἱ δ' ἐλέγχουσι.*

82 A hominis in virtute proficiscentis esse vel inimico castiganti aures praebere exponitur: Plut. pergit his verbis *ὥς που Διογένης ἔλεγε τῷ σωτηρίας δεομένῳ ζητεῖν προσήκειν ἢ φίλον σπουδαῖον ἢ διάπυρον ἐχθρόν, ὅπως ἐλεγχόμενος ἢ θεραπευόμενος ἐκφεύγοι τὴν κακίαν.*

Quae si comparamus, in 74 C illud Diogenis necessariam disputationis partem esse invenimus, qua omissa oratio hiare videbitur. In 82 A autem res antea iam satis exposita eisdem Diogenis verbis similem in modum repetitur. Si hoc loco illud omitteretur, lacuna in disputatione non fieret. Necessarium autem prius est quam id quod neglegi potest.

Ut iam colligamus, quae effecisse disputando videmur, repetimus illos tres libellos, qui qualem inter se haberent ordinem hoc opusculo rimari conati sumus, a nobis esse hoc modo dispositos:

Plutarchum libellum de adul. prius composuisse quam disputationem de audiendo; deinde demonstravimus ordinem duorum libellorum de adul. et de prof. in virt. nobis traditum rectum esse; denique Plutarchum libellum de aud. illo de prof. in virt. iam composito conscripsisse. Ex his talem trium disputationum ordinem constituendum censemus:

1. liber quomodo adulator ab amico internoscatur.

2. quomodo quis suos in virtute sentiat profectus.

3. liber de recta ratione audiendi.

3.

De Plutarchi disputatione de capienda ex inimicis utilitate et de tribus eiusdem scriptoris iam tractatis libellis moralibus agitur.

Primum disceptabimus, quae ratio inter libros de prof. in virt. et de cap. util. intercedat. Componamus primum 84 C et 92 C.

84 C *ἐπεὶ πάντας μὲν Ἀθηναίους εἰκὸς ἦν ἐπαινεῖν τὴν Μιλτιάδου τόλμαν καὶ ἀνδρείαν, Θεμιστοκλῆς δ' εἰπὼν ὡς οὐκ ἐᾷ καθεύδειν αὐτὸν ἀλλ' ἐκ τῶν ὕπνων ἀνίστησι τὸ Μιλτιάδου τρόπαιον, οὐκ ἐπαινῶν μόνον οὐδὲ θαυμάζων καταφανὴς ἦν εὐθὺς ἀλλὰ καὶ ζηλῶν καὶ μιμούμενος.*

92 C *διὸ καὶ τὰς ἁμίλλας πρὸς ἐκείνους ἐστὶ ποιητέον ὑπὲρ δόξης ἢ ἀρχῆς ἢ πορισμῶν δικαίων μὴ δακνομένους μόνον, ἄν τι πλέον ἡμῶν ἔχουσιν, ἀλλὰ καὶ πάντα παραφυλάττοντας ἐξ ὧν πλέον ἔχουσι, καὶ πειρωμένους ὑπερβαλέσθαι ταῖς ἐπιμελείαις καὶ φιλοπονίαις καὶ τῷ σωφρονεῖν καὶ προνέχειν ἑαυτοῖς, ὡς Θεμιστοκλῆς ἔλεγεν οὐκ ἐᾶν καθεύδειν τὴν ἐν Μαραθῶνι Μιλτιάδου νίκην.*

In 84 C Themistoclis dictum momentum facit, in 92 C antecedenti cum vocabulo *ὡς* adnexum est, quasi Plutarchus in 92 C illud dictum Themistoclis in 84 A propositum in legentis memoriam revocaret. In 92 C ut iam dudum notum apparet, ut similis cogitatio, quam antea scriptor disseruit, denuo animo infigatur. Hoc enim loco si tolleretur, nemo esset, qui desideraret. Quae cum ita sint, putamus seriem duorum libellorum traditam rectam esse. Similem comparationem aperit Plutarchus in 78 C et 92 E:

78 C *διὸ καὶ ταῦτα παραβάλλοντες ἐκείνοις ἐπιγαυροῦσιν ἑαυτούς, ὥσπερ ὁ Σόλων*

ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα

τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον, ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεί,
χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

92 E . . *καὶ τὸ τοῦ Σόλωνος ἔχειν ἀεὶ δεῖ πρόχειρον*
ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα
τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον . . . hic illud Solonis finitur.

Hoc loco sine dubio illud 78 C prius scriptum quam illud 92 E existimamus, cum in 92 E illud Solonis uno dimidiatoque versu diminutum sit. Scriptor in 92 E illud in 78 C iam allatum nonnullis verbis in animos legentium redigere voluit. Cui opponas, quod Plutarchus notos Solonis versus in 92 E non omnes attulit, nihil valere ad discernendum, uter liber prior scriptus sit. Operae pretium est quaerere ex homine tale dicente, cur Plutarchus illud Solonis in 78 C non concisum, sed o m n e s versus protulerit, ut illos versus in memoriam legentium revocaret? Nos quidem censemus illud 78 C, quamquam versus Solonis sunt pernoti, tamen prius scriptum esse.

Deinde quaeramus quomodo disputationes d e d i s c. a d u l. et d e c a p. u t i l. conexae sint. Tres locos similes hic invenimus; primum prolaturi sumus 74 C et 89 B.

74 C *τῷ δὲ ψέγειν τὰ πραχθέντα καὶ τοὺς ἐχθροὺς κατ' ἀλλήλων ὁρῶμεν χρωμένους, ὥσπερ Διογένης ἔλεγεν ὅτι τῷ μέλλοντι σῴζεσθαι δεῖ φίλους ἀγαθοὺς ἢ διαπύρους ἐχθροὺς ὑπάρχειν οἱ μὲν γὰρ διδάσκουσιν, οἱ δ' ἐλέγχουσι.*

89 B *ὅθεν ὀρθῶς ὁ Ἀντισθένης εἶπεν ὅτι τοῖς μέλλουσι σῴζεσθαι φίλων δεῖ γνησίων ἢ διαπύρων ἐχθρῶν οἱ μὲν γὰρ νουθετοῦντες τοὺς ἁμαρτάνοντας, οἱ δὲ λοιδοροῦντες ἀποτρέπουσι.*

Aliis locis (82 A, quo loco Plutarchum 74 C prius scripsisse iam supra explicavimus), in quibus illa sententia a Plutarcho allata est, D i o g e n i attribuitur. In 89 B autem Plutarchus errat, quod illud Diogenis Antisthenis esse dixit; quo adducti arbitramur 74 C priorem ordinem ante 89 B tenere. Addimus alia, ut ratio, quam defendimus, clariore in luce ponatur. In 74 C scriptor praecise *τῷ μέλλοντι*, in

89 B autem *τοῖς μέλλουσι* dixit. Denique illud in 74 C accurate dictum *οἱ μὲν γὰρ διδάσκουσιν, οἱ δ' ἐλέγχουσι* in 89 B copiosis verbis adumbratum videtur, cum Plutarchus dixerit *οἱ μὲν γὰρ νουθετοῦντες τοὺς ἁμαρτάνοντας, οἱ δὲ λοιδοροῦντες ἀποτρέπουσι.* Eadem sententia compluribus verbis dicta est, quam in 74 C acute et diligenter adumbratum vidimus. Ergo 74 C prius scriptum est.

Proponamus iam nonnulla similia in illis duobus libris prostantia, ut stabiliamus, quod sentimus: 71 F *ἐλαφροῦ δὲ καὶ φαύλου τὸ ἦθος ἀνθρώπου λόγῳ παρρησίας ἁπτομένῳ περίεστι προσακοῦσαι τό*

ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσιν βρύων.

88 D *ἐνδύου τῇ ψυχῇ περισκόπει τὰ σαθρά, μή τις σοί ποθεν ὑποφθέγγηται κακία τὸ τοῦ τραγῳδοῦ*

ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Qui duo loci neque repugnant iis, quae adhuc repperimus neque hi duo,

48 F *ὁ Πλάτων . . τυφλοῦται γὰρ τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον*

90 A, 92 F *τυφλοῦται γὰρ τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον ὡς ὁ Πλάτων φησί.*

Hoc igitur cognito explicare restat quomodo libelli de audiendo et de inim. util. inter se nexi sint. Quamquam non compluribus, tamen uno et certo testimonio intellegi potest de aud. postea scriptum esse quam de in. util.

40 C *ὡς γὰρ ὁ Ξενοφῶν φησι* (Xenoph. Oec. I 15) *τοὺς οἰκονομικοὺς καὶ ἀπὸ τῶν φίλων ὀνίνασθαι καὶ ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν, οὕτω τοὺς ἐγρηγορότας καὶ προσέχοντας οὐ μόνον κατορθοῦντες ἀλλὰ καὶ διαμαρτάνοντες ὠφελοῦσιν οἱ λέγοντες*

86 C . . *καὶ τοῦ Ξενοφῶντος ἀκηκοέναι παρέργως εἰπόντος ὅτι τοῦ νοῦν ἔχοντος ἔστι καὶ ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν ὠφελεῖσθαι . . . τοὺς δὲ νοῦν ἔχοντας ὁ Ξενοφῶν καὶ ὠφελεῖσθαί φησιν ἀπὸ τῶν διαφερομένων.*

40 C plurimum differt a disputatione proposita, quae agit de recta ratione audiendi, cum illud non aptum sit, quod in libello *περὶ τοῦ ἀκούειν* inseratur. Plutarchum autem in 40 C illud in 86 C recte prolatum incommode repetere apparet. Si enim quaeritur, quomodo quis ex amicis et inimicis utilitatem capiat, quod Plutarchus in 40 C quaesivit, id non esse disputationis de recta ratione audiendi, sed in libello de capienda ex inimicis utilitate ponendum censemus. Plutarchum autem in 40 C sententias inter ceteras discrepantes inseruisse constat. Praeterea Plutarchus in 40 C illud Xenophontis non ad verbum, sed e memoria titubante attulit, cum *ὀνίνασθαι* vocabulo pro *ὠφελεῖσθαι* usus sit. Xenophon in Oeconomico *ὠφελεῖσθαι* scripsit, quod verbum Plutarchum in 86 C recte adhibuisse, in 40 C autem simili vocabulo *ὀνίνασθαι* mutasse vidimus. Quae cum ita sint nemo est, qui Plutarchum illud 86 C prius scripsisse quam 40 C neget.

Quamquam maxime operam navavimus, ut alia consentientia reperiremus, quibus discerneretur, uter liber prius scriptus sit, tamen nihil nisi haec duo indagavimus:

46 F *οὐ γὰρ μόνον, ὡς Εὐριπίδης φησί, τὸ Τηλέφου τραῦμα πριστοῖσι λόγχης θέλγεται ῥινήμασι*

ἀλλὰ καὶ τὸν ἐκ φιλοσοφίας ἐμφυόμενον ἐμφυέσι νέοις δηγμὸν αὐτὸς ὁ τρώσας λόγος ἰᾶται.

89 C *ὡς γὰρ ὁ Τήλεφος οἰκείου μὴ τυγχάνων ἰατροῦ τῷ πολεμίῳ δόρατι τὸ ἕλκος ὑπέθηκεν, οὕτω τοὺς ἀποροῦντας εὐνοίας νουθετούσης ὑπομένειν ἀνάγκη μισοῦντος ἐχθροῦ λόγον, ἂν ἐλέγχῃ καὶ κολάζῃ τὴν κακίαν, σκοποῦντας τὸ ἔργον ἀλλὰ μὴ τὴν γνώμην τοῦ κακῶς λέγοντος.*

46 F prius est, quod hoc loco versum Euripidis protulit, quem in 89 C non usurpavit. Tamen dici non potest, utrum Plutarchus prius tractaverit, cum utramque disputationem scribens illam notam Telephi fabulam, quam nemo eruditus nesciebat, iam in memoria teneret. Illud Telephi

cum in reliquis Plutarchi scriptis non deprehendatur, asseveramus illos duos libros uno fere tempore scriptos esse. Quam ob rem satis habemus id modo dicere. Itaque ut iam colligamus quae effecisse disputando videmur, repetimus Plutarchum hoc ordine scripsisse

1) librum quomodo adulator ab amico internoscatur, quem post annum 95 confecisse et Philopappo dedicavisse supra iam attigimus, qui a. 114—116 mortuus est.

2) quomodo quis suos in virtute sentiat profectus.

3) eodem fere tempore de recta ratione audiendi et de capienda ex inimicis utilitate. Compositum esse librum de cap. util. aliquanto post praec. ger. reip, qui liber Domitiano mortuo scriptus est, in pagina 9 explicavimus.

4.

Quibus disputatis libros de animi tranquillitate et de discernendo adulatore ab amico eodem fere tempore compositos esse doceamus. Adferamus quos exscripsimus locos 58 D et 471 C.

58 D *Ἀπελλῆς μὲν γὰρ ὁ ζωγράφος Μεγαβύζου παρακαθίσαντος αὐτῷ καὶ περὶ γραμμῆς τε καὶ σκιᾶς βουλομένου λαλεῖν, ὁρᾷς, ἔφη, τὰ παιδάρια ταυτὶ τὰ τὴν μηλίδα τρίβοντα; πάνυ σοι προσεῖχε τὸν νοῦν σιωπῶντι, καὶ τὴν πορφύραν ἐθαύμαζε καὶ τὰ χρυσία. νῦν δέ σου καταγελᾷ περὶ ὧν οὐ μεμάθηκας ἀρξαμένου λαλεῖν.* quibuscum comparandum esse illud 471 E arbitramur: *Μεγάβυζον καὶ Πέρσην εἰς τὸ ζωγραφεῖον ἀναβάντα τοῦ Ἀπελλοῦ, καὶ λαλεῖν ἐπιχειρήσαντα περὶ τῆς τέχνης, ἐπιστόμισεν ὁ Ἀπελλῆς εἰπών, ἕως μὲν ἡσυχίαν ἦγες, ἐδόκεις τις εἶναι διὰ τὰ χρυσία καὶ τὴν πορφύραν, νυνὶ δὲ καὶ ταυτὶ τὰ τρίβοντα τὴν ὤχραν παιδάρια καταγελᾷ σου φλυαροῦντος.*

Hos duos locos qui comparaverit, Plutarchum 58 D prius elucubravisse inveniet, cum hoc loco nonnullae res

paucis lineis diligentius pictae sint. Primum scriptor in 58 D nonnullis verbis apertius edisseruit, quibus de rebus Megabyzus verba fecerit: *περὶ γραμμῆς τε καὶ σκιᾶς.* In 471 E autem Plutarchus minus accurate dixit illum Megabyzum *περὶ τέχνης* magnam scientiam habere sibi esse visum. Dein 58 D diligenter enodavit *τὰ παιδάρια τὴν μηλίδα τρίβοντα,* ubi illud *μηλίς* quin rarum sit, nemo dubitabit; in 471 autem multo debilius scriptum vidimus *τὰ τρίβοντα τὴν ὤχραν παιδάρια.* Quod scriptor in 471 E disserendo Megabyzum Persam nominavit, ad nostram disceptationem fulciendam nihil refert.

His in duobus scriptis non multis versibus post locos, quos antecedentibus verbis modo tractavimus, alia inter se conspirantia leguntur (58 E et 472 A):

58 E *εἶτα τῶν μὲν Στωϊκῶν οὐδ᾽ ἀκούειν ἔνιοι ὑπομένουσι, τὸν σοφὸν ὁμοῦ πλούσιον καλὸν εὐγενῆ βασιλέα προσαγορευόντων, οἱ δὲ κόλακες τὸν πλούσιον ὁμοῦ καὶ ῥήτορα καὶ ποιητήν, ἂν δὲ βούληται, καὶ ζώγραφον καὶ αὐλητὴν ἀποφαίνουσι καὶ ποδώκη καὶ ῥωμαλέον.*

472 A; *ἀλλ᾽ ἔνιοι τοὺς Στωϊκοὺς οἴονται παίζειν, ὅταν ἀκούσωσι τὸν σοφὸν παρ᾽ αὐτοῖς μὴ μόνον φρόνιμον καὶ δίκαιον καὶ ἀνδρεῖον, ἀλλὰ καὶ ῥήτορα καὶ ποιητὴν καὶ στρατηγὸν καὶ πλούσιον καὶ βασιλέα προσαγορευόμενον.*

Vix quisquam, opinor, qui sobria mente utrumque locum inter se comparare instituerit, dubitabit, quin similis sit cogitatio in utroque libro tractata. Sed, opinor, fieri non potest, ut discernatur, uter locus prius sit scriptus. Similitudinem quidem esse permagnam nemo est, quin intellegat. Quam ob rem putamus Plutarchum scripta illa uno fere tempore composuisse, quod tertio testimonio allato confirmabimus. (58 F et 471 F).

Statim versus a nobis supra allatos sequuntur haec: *ὑποπίπτοντες ἐν τῷ παλαίειν καὶ ἀπολειπόμενοι θεόντων, ὥσπερ Κρίσων ὁ Ἱμεραῖος ἀπελείφθη διαθέων πρὸς Ἀλέξανδρον, ὁ δ᾽ αἰσθόμενος ἠγανάκτησε.* Quis est, qui haec verba intuens statim perspiciat, quid scriptor voluerit? Intellegemus, si

471 F perlegerimus, ubi scriptum exstat: *οὐ τοιοῦτος δ' ὁ Ἀλέξανδρος, ἀλλ' ἐπεὶ Κρίσων ὁ σταδιοδρόμος ἁμιλλώμενος αὐτῷ περὶ τάχους ἔδοξεν ἑκὼν παρεῖναι, σφόδρα διηγανάκτησεν.*

Hoc loco Plutarchus claris verbis eandem rem expressit, quam priore loco tam leviter adumbraverat, ut non facile persentias, quid in animo habuerit.

Sed nos ipsi contraria et repugnantia loqui videmur, qui initio huius capitis Plutarchum illud 471 F tractatum e 58 D iam scripto hausisse disceptavimus. Tamen res inter se oppugnantes solvi posse persuasum nobis est. Plutarchum, qui alterum locum e libro de adul., alterum e disputatione de an. tranquill. sumpsit, illos duos locos uno tempore conscripsisse nos quidem pro certo habemus, quo factum est, ut illos locos, si hoc verbo uti licet, inter se contaminaret. Uter libellus prior scriptus sit, discerni non potest.

Cum secundo huius opusculi capite librum de aud. scriptum esse libello de adul. iam confecto disseruerimus, operam navavimus, ut similitudines in libro de aud. et in disputatione de an. tranq. reperiremus demonstrandi causa librum de aud. factum esse commentariolo de an. tranq. iam conscripto. Sed frustra; hoc tamen certe investigavimus nihil esse quod nostrae opinioni repugnet, librum de aud. scriptum esse libello de an. tranq. iam confecto.

Disputationis capite quarto exposuimus Plutarchum uno tempore scripsisse libros de aud. et de util. cap. Cum antecedenti capite ostenderimus libellos de adul. et de an. tranq. uno fere tempore compositos esse et iam disseruerimus librum de adul. priorem confectum esse quam librum de aud., argumentum concludimus hoc:

libri de adul. et de an. tranq. eodem tempore
de aud. et de cap. util. eodem tempore
de adul. prius quam de audiendo.

---

sequitur, ut de an. tranq. prius scriptus sit quam de cap. util.

Restat, ut inter se conferamus 87 A et 469 D. (eandem sententiam in 603 D observavimus, de quo p. 49 disputabimus).

87 A *Ζήνων δὲ τῆς ναυκληρίας αὐτῷ συντριβείσης πυθόμενος εἶπεν· εὖ γ' ὦ τύχη ποιεῖς, εἰς τὸν τρίβωνα συνελαύνουσα ἡμᾶς, ὥσπερ γάρ . .*

467 D *Ζήνωνι τῷ Κιτιεῖ μία ναῦς περιῆν φορτηγός· πυθόμενος δὲ ταύτην αὐτόφορτον ἀπολωλέναι συγκλυσθεῖσαν· εὖ γ' εἶπεν, ὦ τύχη, εἰς τὸν τρίβωνα καὶ τὴν στοὰν συνελαύνουσ' ἡμᾶς.*

Nemini dubium esse arbitramur, quin Plutarchus 87 A ex 467 D hauserit, cum 467 D multo diligentius explicatum videatur. Nostrum est adferre, quae accurate delineata censemus, dictionem Plutarchum verbo *τῷ Κιτιεῖ* usque ad *συγκλυσθεῖσαν* et edictum ipsum amplificasse illo *καὶ τὴν στοὰν* vidimus. Dein in libro de an. tranq. illud Zenonis ob suam ipsam vim adferri constat, in 87 A autem idem attulit, ut narrationem promoveret et illo Zenonis prolato alteram sententiam orsam ab *ὥσπερ γὰρ* adiungeret. Quare librum de an. tranq. prius designatum esse quam de cap. util pro certo putamus.

Adhuc explicavimus scriptos esse libros
de adul. et de tranq. an. eodem tempore
de aud. et de cap. util. eodem tempore
de adul. prius quam de audiendo.

---

argumentamur de an. tranq. prius quam de aud. compositum esse.

His ita prolatis, quod supra demonstrare non potuimus, librum de aud. elucubratum esse disputatione de an. tranq. iam confecta nobis concludendum est.

Alia iam exempla proponamus. Ex eis quae disseruimus, Plutarchum librum de an. tranq. scripsisse ante librum de prof. in virt. nobis colligendum est, cum iam

perspicuum sit hanc disputationem compositam esse libro de adul. iam conscripto et de adul. eodem tempore esse atque librum de an. tranq., quam rationem certo testimonio confirmabimus 78 D et 473 A collatis:

78 D *ὁ δ' Ἀριστοτέλης πρὸς Ἀντίπατρον περὶ Ἀλεξάνδρου γράφων ἔφη μὴ μόνον ἐκείνῳ προσήκειν ὅτι πολλῶν κρατεῖ μέγα φρονεῖν, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον εἴ τις ὀρθῶς γιγνώσκει περὶ θεῶν.*

et 473 A *Ἀριστοτέλης δὲ πρὸς Ἀντίπατρον γράφων· οὐκ Ἀλεξάνδρῳ μόνον, ἔφη, προσήκει μέγα φρονεῖν ὅτι κρατεῖ πολλῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' οὐχ ἧττον οἷς ὑπάρχει περὶ θεῶν ἃ δεῖ δοξάζειν.*

In 473 A Plutarchus dictum Aristotelis directa oratione induxit, in 78 D autem, ut ita dicam, oratione obliqua utitur. Non est dubium, quin illud prius scriptum sit. Plutarchus in 78 D disserendo oratione obliqua illud Aristotelis non adhibuisset, nisi eadem sententia iam in 473 A oratione recta adhibita antea usus esset. Quam ob rem librum de an. tranq. prius scriptum esse quam disputationem de prof. in virt. arbitramur.

5.

Quo ordine Plutarchus composuerit libellos de prof. in virt. et de se ipsum citra invidiam laudando, ut dispiciamus, tractemus 78 D proxime nominatum et 545 A:

545 A *οὕτω δὴ καὶ πρὸς Ἀλέξανδρον Ἀριστοτέλης οὐ μόνον ἔφη τοῖς πολλῶν κρατοῦσιν ἐξεῖναι μέγα φρονεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς περὶ θεῶν δόξας ἀληθεῖς ἔχουσι.*

Quod par locorum comparanti non est dubium, quin Plutarchus in 78 D diligentius personam Antipatri significaverit, ad quem litteras de Alexandro agentes Aristotelem scripsisse dicit. Hoc minus diligenter in 545 A disseruit, quo loco Aristotelem de Alexandro illa verba locutum esse protulit; hoc enim loco Plutarchus nomen Antipatri neglexit. Qua re confirmati librum de prof. in virt. prius compositum esse quam de se ips. citra invid. laud. putamus.

Comparanda deinde 78 D et 545 F:

78 D *ὁ δὲ Ζήνων ὁρῶν τὸν Θεόφραστον ἐπὶ τῷ πολλοὺς ἔχειν μαθητὰς θαυμαζόμενον· ὁ ἐκείνου μὲν χορός' ἔφη 'μείζων, οὑμὸς δὲ συμφωνότερος.*

545 A *οὕτω καὶ ὁ Ζήνων πρὸς τὸ πλῆθος τῶν Θεοφράστου μαθητῶν· ὁ ἐκείνου χορός' ἔφη, μείζων, οὑμὸς δὲ συμφωνότερος.*

Amplioribus verbis Plutarchus in 78 D dixit Zenonem miratum, quantum numerum discipulorum Theophrastus haberet, illa verba esse locutum. Minus diligenter eandem rem in 545 A narravit. Quam ob rem putamus scriptorem 545 A scribentem illud 78 D in memoria tenuisse et indiligentius hoc loco id disceptasse, quod iam priore loco amplioribus verbis tractaverat. His geminis testimoniis adiuti existimamus librum de laudando scriptum esse libro de prof. in virt. iam conscripto.

Alia gravia non inveni, nam et 87 D et 543 D legi *οὔ τις τοι θεός εἰμι τί μ' ἀθανατοῖσιν ἐίσκεις;* nihil habere, quod nos adiuvet, nemo est, quin intellegat.

6.

Quae ratio intercedat inter libros de animi tranquillitate et de sera num. vindicta.

470 A ab Arcesilao pronuntiatum invenimus, qui homines alienis rebus magnum momentum attribuentes cum adulteris comparavit: *ὥσπερ μοιχοὶ τὰς ἑτέρων γυναῖκας, αὑτῶν δὲ καὶ τῶν ἰδίων καταφρονοῦντες.* Eadem comparatione Plutarchus 563 C usus est, quo loco nomen Arcesilai omisit: *καὶ τὸν πλοῦτον ἐκ μετανοίας διώκων ταὐτὸ τοῖς ἀκολάστοις ἔπασχε πάθος.* His verbis Plutarchus haec adiunxit *οἳ τὰς γυναῖκας ἔχοντες μὲν οὐ φυλάττουσι, προέμενοι δὲ πειρῶσιν αὖθις ἀδίκως ἑτέροις συνούσας διαφθείρειν,* quam sententiam nos et probam esse nec inutilem arbitramur, quamvis eam abesse potuisse nemo negaturus sit. Primum in 563 C illam comparationem Arcesilai esse dicere omisit, quod nomen in 470 A commemoraverat. Totam comparationem si in 563 C non adhibuisset,

nemo esset, qui desideraret. Tertium tota forma in 563 C debilior videtur quam in 470 A, cum μοιχοί compluribus verbis explicaverit ταὐτὸν ἔπασχε οἱ τὰς γυναῖκας ἔχοντες usque ad συνούσας. Quibus indiciis ducti scriptorem illud 563 C designantem totam comparationem e memoria protulisse existimamus, quo factum est, ut nomen Arcesilai adferre oblivisceretur. Hoc uno sed valido testimonio nisi librum de an. tranq. prius quam de sera numinis vindicta compositum esse arbitramur.

Nescio an non multum valeant ad hanc quaestionem solvendam illa conspirantia ex 559 B et 473 D eruta, tamen nostrum est illos locos proferre: ἀλλ᾽ ὥσπερ ἕτερον τὸν ἐχθὲς ὄντα τοῦ σήμερον καὶ τὸν αὔριον ὁμοίως οὐ τὸν αὐτὸν τῷ σήμερον διαιροῦσα. Quin haec cogitatio, quae eadem in altero libro legitur, tralaticia sit, nemo est, qui dubitet. Nihil refert ad disceptationem fulciendam. Similitudines quasdam reppperimus sed nullas, quae nos disputantes aut adiuvarent aut refellerent.

Iam supra librum de an. tranq. eodem tempore scriptum esse atque disputationem de disc. adul. ab amico demonstravimus. Cum verbis antecedentibus librum de an. tranq. prius delineatum esse quam librum de sera num. vind. disseruerimus, sequitur ut liber de adul. prius compositus sit quam disputatio de sera num. vind. Quamquam operam navavimus, ut similes locos in illis duobus scriptis deprehenderemus, tamen nullas prompsimus, quod sententiae nostrae minime repugnat. Quibus in scriptis nulla similia reteguntur, quod liber de sera num. vind. in eodem ordine ponendus est atque scripta de facie in orbe lunae et de genio Socratis, in quibus Plutarchum praecepta Posidonii secutum esse constat (K. Praechter, Hierocles Stoicus (1901) 109). De sera num vind. liber adducit legentes ad Pythicos sermones, qui a sene Plutarcho compositi sunt. Ergo ille liber in posterioribus scriptis numerandus est. Illa autem scripta

moralia, de quibus nos hac disputatione agimus, ante illos libros de facie, de genio Socr., de sera num. vind. confecta sunt inter annos fere 97—110. Repetimus, quae supra explicavimus, libros de amico ab adul. intern. ante annum 95 et de sera num. vind. nonnullo post annum 98 confectos esse.

7.

Nunc his verbis, quo modo libri de prof. in virt. et de sera num. vind. conexi sint, significabimus.

In 81 F hoc invenimus: *ἕτερον λαβὼν σχῆμα καὶ σιωπὴν καὶ θάμβος ὥσπερ θεῷ τῷ λόγῳ ταπεινὸς συνέπεται καὶ κεκοσμημένος.* Quin Plutarchus haec verba e Platonis Legibus p. 716a (VII p. 600, 9) hauserit fere ad verbum, nemo est, qui in dubium vocet. Ita Plato: *τῷ δὲ θεῷ ἀεὶ συνέπεται δίκη ἧς ὁ μὲν εὐδαιμονήσειν μέλλων ἐχόμενος ξυνέπεται ταπεινὸς καὶ κεκοσμημένος.* Confer, quod Wyttenbach in animad. I, 471 dixit Idem vir doctissimus in II, 497 una cum illo 550 D *τοῖς ἕπεσθαι θεῷ δυναμένοις* hoc 81 F et 37 D iam attulerat, tamen quaestionem. quo ordine Plutarchus [illegible] scripta composuerit, non attigit. Non est dubium, qu[illegible] Plutarchus 81 F prius scripserit quam librum de sera num. vind., quod in 81 F fere ad verbum Platonem sequitur. Ad hoc Platonis, quod in memoria tenebat, cum illum locum in disputatione de aud. 37 D et in libro de sera num. 550 D scriberet, nonnullis verbis Plutarchum respexisse, quis est, quin intellegat? Qua ex re effici potest scriptorem illud 81 F prius delineavisse quam 37 D et 550 D; quo confirmatur librum de aud. compositum esse de prof. in virt. commentariolo iam conscripto.

8.

Tractemus nonnullis verbis hoc capite, quo ordine libri de amicorum multitudine et de fraterno

amore compositi sint. Quod ut fiat duos Menandri versus a Plutarcho in 479 C et 93 C adhibitos comparemus.

479 C *ὅθεν ὁ Μένανδρος ὀρθῶς*

οὐκ ἐκ πότων καὶ τῆς καθ' ἡμέραν τρυφῆς
ζητοῦμεν ᾧ πιστεύσομεν τὰ τοῦ βίου (φησί),
πάτερ, οὐ περιττὸν οἴετ' ἐξευρηκέναι,
ἀγαθὸν ἕκαστος, ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν.

et 93 C *καίτοι τόν γε παρὰ τῷ Μενάνδρῳ νεανίσκον ὑπερφυῶς ἐπαινοῦμεν εἰπόντα θαυμαστὸν ὅσον νομίζειν*

ἀγαθὸν ἕκαστον, ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν.

Hos duos locos cuivis legenti non dubium est, quin Plutarchus in 479 C illud Menandri ad verbum attulerit, in 93 C autem non ad verbum, sed e memoria usurpaverit, quod illud Menandri ut sibi notum scriptor attigit et non plures versus, quos omnes in 479 C protulerat, sed unum modo attulit. Non dubium videtur, quin liber de amic. mult. prius scriptus sit.

Postremo Euripidis fragmentum 595 invenimus 96 C et 482 A.

96 C *καὶ τοῦτο μάλιστα πάσχουσιν οἱ φιλόσοφοι καὶ χαρίεντες, ὡς Θησεὺς τῷ Πειρίθῳ κολαζομένῳ καὶ δεδεμένῳ*

αἰδοῦς ἀχαλκεύτοις συνέζευκται πέδαις.

et 482 A *οὐ γὰρ ὁ συμπότης οὐδ' ὁ συνέφηβος οὐδ' ὁ ξένος*

αἰδοῦς ἀχαλκεύτοισιν συνέζευκται πέδαις.

Veri simile est Plutarchum illud 96 C prius scripsisse, cum hoc loco personae Euripidis diligentius nominatae sint *Θησεὺς καὶ Πειρίθοος*, quos 482 A omisit. In 482 A illum versum Euripidis esse legentem scire Plutarchus putat, quod nihil, ut significaret, cuius poetae hic versus esset, attulit. Non dubium est, quin in 96 A scriptor legenti diligentius explicaverit, qui homines apud Euripidem hunc versum inter se locuti sint. Quamquam hoc tertium exigui momenti est ad solvendam quaestionem, cum dicere possis legentis nihil interesse qui auctor illius versus fuerit, tamen attulimus, quod nostris verbis minime repugnant hi loci. Si contra

in 482 A Plutarchus illas Euripidis personas nominasset, id nostrae sententiae obstrepere putares.

Aliae similitudines, ut in 94 A et 482 B, quibus locis verum illud esse dicitur, quod explicatur multos modios salis edendos esse, ut amicitia quaedam certa putaretur, ad nostram opinionem fulciendam nihil valent.

9.

De amicorum multitudine.

Addamus nonnullas animadversiones, quo ordine disputatio de amic. multit. et liber amatorius conexi sint, comparantes inter se 96 C et 763 F.

In 96 C tractatum repperimus illum Euripidis versum *καὶ τοῦτο μάλιστα πάσχουσιν* etc. quem locum in priore capite iam attulimus. Idem versus hoc modo formatus in 763 F invenitur: *οὐχ οἵαν Εὐριπίδης φησίν*
ἀχαλκεύτοισιν ἐζεῦχθαι πέδαις.
quem locum 763 F Plutarchum scripsisse libro de amic. mult. iam conscripto putamus, cum hoc loco ille versus dimidiatus modo allatus videatur, dein quod priore loco personae multo diligentius significatae sunt *ὡς Θησεὺς τῷ Πειρίθῳ;* hoc autem loco scriptor nihil aliud dixit nisi illum versum Euripidis esse, quod nobis minus diligens videtur quam illae personae in 96 C nominatae.

Eidem versus in 553 A et 96 C et similitudines in 96 A et 86 C ascitae ad nostram quaestionem solvendam nihil adferunt.

Iam priore huius opusculi parte libellum de virt. mor. agentem scriptum esse libro de amic. mult. iam conscripto; capite antecedenti libellum de amic. mult. perfectum esse ante libellum de fraterno amore con-

scriptum demonstravimus. Hoc capite disseruimus de amic. mult. compositum esse ante librum amatorium.

10.

De capienda ex inimicis utilitate.

Postquam explicavimus illud scriptum eodem fere tempore compositum esse atque librum de aud., nonnulla coagmentemus, quae aliquid valeant ad quaestionem pertentandem, quo loco illud scriptum inter moralia disponendum sit. Revocemus in mentem nos in capite antecedenti demonstravisse, librum de cap. util. scriptum esse libro de amic. mult. iam patrato.

Nunc contendamus nonnullos locos in libro de cap. util. cum locis in singulis aliis disputationibus inventis: primum comparamus 87 A iam supra allatum cum 603 D (de exilio):

603 D *ὁ μὲν οὖν Ζήνων πυθόμενος ἣν ἔτι λοιπὴν εἶχε ναῦν μετὰ τῶν φορτίων καταπεπομένην ὑπὸ τῆς θαλάσσης· εὖγ' εἶπεν, ὦ τύχη, ποιεῖς εἰς τρίβωνα καὶ βίον φιλόσοφον συνελαύνουσα ἡμᾶς.*

Geminos hos locos comparantes, 603 D nonnullis verbis auctus est. Primum verbum naufragii compluribus verbis, deinde pronuntiatum ipsum verbis *καὶ βίον φιλόσοφον* scriptor auxit. Si autem 87 A intuebimur, idem reperiemus concisum et debilitatum. Itaque Plutarchum hoc 87 A, quod etiam e 467 D sumpsisse iam supra planum fecimus, e libro de exilio hausisse nos plane explicasse existimamus. Quo documento freti Plutarchum librum de exilio prius scripsisse quam de cap. util. arbitramur.

Platonis dictum *λόγου δὲ κουφοτάτου πράγματος βαρυτάτη ζημία* bis invenitur in 456 D et 505 C. Quod ad illa tria scripta attinet, putamus, si quidem hac re discerni non potest, quem ex his tribus locis scriptor prius composuerit, tamen affinitate quadam scripta illa colligata esse.

Nunc nonnullas animadversiones proferamus, quae quamquam nihil dubii non relinquunt, tamen aliquid valere nos quidem putamus. Fieri potest, ut altera animadversione obtineamus librum de cap. util. scriptum esse libro de garrulitate iam conscripto. Quod ut fiat conferamus 90 C cum 515 A.

90 C *ἡ δὲ σιγὴ πανταχοῦ μὲν ἀνυπεύθυνον (οὐ μόνον ἄδιψον ὥς φησιν Ἱπποκράτης) . .*

Quid scriptor hoc loco sibi voluerit, perspici potest ex 515 A; *σιγὴ δ' οὐ μόνον ἄδιψον, ὥς φησιν Ἱπποκράτης, ἀλλὰ καὶ ἄλυπον καὶ ἀνώδυνον.*

Verisimile est Plutarchum 90 C scribentem ad illud Hippocratis respexisse, quod in libro de garrul. 515 A iam attulerat. In 90 C scriptorem illud Hippocratis obiter attigisse nobis certum esse videtur. Quod in libro de cap. util. ut iam dudum notum astrinxerat, ampliore dictu in 515 A disseruit. His exemplis si qua fides est, iam constabit librum de garrul. prius scriptum esse.

Librum de cap. util. scriptum esse disputatione de praec. ger. reipubl. iam confecta G. Siefert exposuit, sed aliud argumentum adferamus: de cap. util. 88 E invenitur *ὡς γὰρ ὁ καικίας τὰ νέφη καὶ ὁ φαῦλος βίος ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκει τὰς λοιδορίας.*

Verba *ὡς ὁ καικίας* sumpta esse ex illo in 823 C allata versu

ἕλκων ἐφ' αὑτὸν ὥστε καικίας νέφη

nemo est, quin intellegat.

14.

Impeditiora sunt, quae ultimo huius opusculi capite complectimur nonnullas animadversiones addentes

de virtute morali.

Wyttenbach in anim. I p. 513 dixit de virt. mor. 441 A pertinere ad 93 A, ubi illud notum Platonis in Menone

p. 12 F respicitur: *πολλῇ γέ τινι εὐτυχίᾳ ἔοικα κεχρῆσθαι, ὦ Μένων, εἰ μίαν ζητῶν ἀρετὴν σμῆνός τι ἀνεύρηκα ἀρετῶν παρά σοι κείμενον.* Ex hoc Platonis loco, qui multis verbis auctus videtur, Plutarchum illud 441 A sumpsisse putamus: *Χρύσιππος κατὰ τὸν Πλάτωνα, σμῆνος ἀρετῶν οὐ σύνηθες οὐδὲ γνώριμον ἐγείρας.*

In 93 A illud Platonis a Plutarcho oratione recta allatum videtur, sed in 441 A ut iam dudum notum in memoriam legentium scriptorem revocasse dicentem *κατὰ τὸν Πλάτωνα* arbitramur. Quae cum ita sint, putamus librum de virt. mor. scriptum esse disputatione de amic. mult. iam confecta, cum locum, qui altero in scripto amplioribus verbis explicatur (441 A), prius scriptum esse existimemus quam illum, qui brevioribus verbis illud ut iam notum attingit.

Illi versus Sophoclis Oed. Rex 3. 4. *πόλις δ᾽ὁμοῦ* etc. inveniuntur in utroque scripto 95 C et 445 D, se nihil ad diiudicandum, utrum scriptum prius sit, valent.

Nunc in medium proferamus 84 D:

οἷός τε ἐστὶ κατὰ Σημωνίδην
ἄθηλος ἵππῳ πῶλος ὣς ἅμα τρέχειν.

In 446 E idem versus allatus est, sed nomen Semonidis minime memoratur. Quam ob rem arbitramur, si quidem alia testimonia adferre non possumus, librum de virt. mor. scriptum esse libro de prof. in virt. iam perfecto.

Plutarchum in 38 A *τῇ δ᾽ἀρετῇ μία* respexisse illud 452 D *εὖ γὰρ οὕτω τὰ μαθήματα, φαίη τις ἄν, ὡς ἔλεγε Ξενοκράτης, λαβὰς εἶναι φιλοσοφίας* iam Wyttenbach I, 239 disseruit. Cum Plutarchus in 452 D diligentius auctorem illius pronuntiati significaverit et in 38 A illud ut notum nomine auctoris omisso attulerit, arbitramur librum de aud. scriptum esse libro de virt. mor. iam confecto, quod nostrae sententiae minime repugnat, cum in antecedentibus huius opusculi capitibus librum de audiendo Plutarchum aetate provectum scripsisse disseruerimus.

Colligamus quae effecisse nobis videmur:

1. librum de adulatore prius scriptum esse quam de audiendo disseruimus, deinde

2. disputationem de prof. in virt. prius scriptam esse quam de audiendo;

3. librum de adulatore ordinem tenere ante librum de prof. in. virt.;

4. eodem tempore scriptos esse libros de audiendo et de cap. utilitate;

5. eodem tempore compositas esse disputationes de adulatore et de animi tranquillitate;

6. librum de an. tranq. prius scriptum esse quam de audiendo.

7. librum de an. tranq. prius compositum esse quam de cap. utilitate.

8. librum de an. tranq. prius adumbratum esse quam de prof. in virtute;

9. librum de an. tranq. prius scriptum esse quam de sera num. vind;

10. librum de se ips. citra inv. laud. scriptum esse disputatione de prof. in virt. iam conscripta;

11. librum de amic. mult. prius scriptum esse quam disputationem de fraterno amore.

12. de vit. pudore scriptum esse libro de am. mult. iam conscripto.

13. de amic. mult. prius esse quam de cap. util. scriptum.

14. de amic. mult. prius scriptum esse quam librum amatorium.

15. de cap. utilitute prius scriptum esse

a) libro de exilio iam confecto,

b) libro de garrulitate iam conscripto,

c) disputatione de praec. ger. reipubl. iam confecta.

16. de virtute morali scriptum esse
   a) libro de amic. mult. iam confecto,
   b) libro de prof. in virt. iam perfecto,
   c) ante librum de audiendo.

Vita.

Natus sum Carolus Heinricus G u n t h a r i u s H e i n pridie Kal. Jul. a. 1891 Cuestrini Brandenburgensis patre Heinrico, matre Helena e gente Benedix. Evangelicam fidem profiteor.

Gymnasii Francofurtensis, Cuestrinensis, Rastattensis, Ulmensis, Darmstadtensis, Steglitziensis discipulus fui.

Aestate anni 1910 Berolini studiis philologicis et historicis me dedi et per quinque annos universitatis Berolinensis civis academicus fui.

Docuerunt me ornatissimi et doctissimi viri in gymnasio Steglitziensi O. Binde, C. Hoelk, Kroymann, Lück, Gerhardus Schultz, Spindler; in Universitate litteraria Friderica Guilelma H. Delbrück, H. Diels, B. Erdmann, O. Hintze, O. Hirschfeld, Imelmann, Eduardus Meyer, E. Norden, D. Schäfer, Wilh. Schulze, Stumpf, M. Tangl, Wentzel, U. de Wilamowitz-Moellendorff.

Magistris meis cum omnibus tum U. de Wilamowitz, quo auctore hoc opusculum ortum est, quantum debeam, nunquam obliviscar. Examen rigorosum a. d. XI. kal. Sext. 1915 sustinui.

